

A monasteriorum, dignitatum, personarum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque deinceps factae, nullae sint ipso iure, nullumq; per illas ius cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati aut prouisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitucionem, tanquam inique ablata peripientes, teneantur. Statuētes in super, q; dantes & recipientes, ipso facto sententiam excommunicationis incurvant, etiam si pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

¶ De dispensationibus.

Martinus &c. Quoniam beneficia propter officia conceduntur, reputamus absurdum, ut qui beneficia obtinent, recusent aut negligant officium exercere; Nos igitur sacro approbante concilio omnes dispensationes a quibuscunque pro Romanis pontificibus se gerentibus, concessas quibuscunque electis, confirmatis, seu prouisis ad ecclesiastas, monasteria, prioratus, conuentuales, decanatus, archidiaconatus & alia quæcunque beneficia, quibus certus ordo debitus est vel annexus, ne munus consecrationis episcopi sive benedictionem abbatis aut cæteros debitos aut annexos ordines suscipiant, præter illas quæ secundum formam constitutionis Bonifacij octauii, quæ incipit, Cum ex eo factæ sunt, reuocamus, statuentes ut quide præsenti illos B uel illa obtinet, infra sex menses a die publicationis huiusmodi constitutionis, nostra, & qui in posterum obtinebunt, infra terminum iuriis se facient consecrati, aut be nedici, seu ad alium debitum ordinem promoueri. Alioquin sint ipsis monasteriis, ecclesiastis, dignitatibus, personatibus, officijs & beneficijs pro ipso iure priuati, & alijs libere conferantur, aut prouideatur de illis cæteris constitutionibus circa hoc editis in suo robore duraturis.

¶ De decimis & alijs oneribus ecclesiasticis.

Martinus &c. Præcipimus & mandamus, iura quæ prohibent inferioribus a pa-
pa decimas & alia onera ecclesiastis & personis ecclesiasticis imponi, distictius oblet-
ari. Per nos autem nullatenus imponantur generaliter super totum clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate uniuersalem ecclesiam concerne, & de consilio & consensu & subfcriptione fratum nostrorum sanctæ Romanae ecclesiæ cardinalium, & prælatorum quorum consilium commode haberí poterit. Nec specialiter in aliquo regno uel provinçia, in consultis prælatis ipsius regni uel prouinciae, & ipsis non consentientibus, uel eorum maiori parte, & eo casu per personas ecclesiasticas C & autoritate apostolica duntaxat leuenentur.

¶ De uita & honestate clericorum.

Martinus &c. Inter cæteros prælatorum & clericorum excessus hoc maxime inoleuit, quod spreta in uestibus forma ecclesiasticae honestatis, plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt laicis conformari, quodq; mente gerunt, habitu consententur. Vnde præter cætera quæ circa uestes, tonsuram & habitus clericorum, tam in formis quam in coloribus, atq; comam seu capillos, uitamq; & honestatem clericorum iura statuant, & quæ nimis collapsa sunt tam in secularibus quam in regularibus, sacro approbante concilio innouamus, & præcipimus diligenter obseruari, illum specialiter abusum (eodem approbante concilio) decernimus penitus abolendum, quod in quibusdam partibus nonnulli clerici & personæ ecclesiasticae seculares & regulares, etiam quod magis execramur, prælati ecclesiastum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magna sumptuosa superfluitate uestes, etiam fissa retro & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus etiam in fissuris deferunt, & cum talibus in ecclesiis cum suppellicis ac alijs uestibus ad cultum & officium ecclesiasticum ordinatis, etiam intra ecclesiastis ipsis, in quibus beneficiari existunt, non uerentur diuinis officijs interesse. Hanc uestium deformitatem in quibuscunque personis ecclesiasticis reprobamus, ac usum talium inhibemus: contrarium autem facientes, ut trans-